

nissimè venientem audivimus, & tenerrimè ex corde dileximus. Præbiter fuit egregiâ pietatè conspicuus. Latinitatem hauserat Philosophiamque à Magistris Societatis JESU in Collegio Maximo Mexicano, Theologiam & laureas in Academia nostra rerulerat. Instituto juxta Tridentini Decreta Concilij Seminario Metropolitanae Ecclesiæ Collegio primos inter Grammaticæ Professores accitus, instituendæ juventuti strenuam multis annis operam dedit, matutinis vespertinisque lectionibus quotidianis incubens. Quidquid ipsi reliquum erat temporis piacularibus excipiendis confessionibus in Cathedrali Ecclesiâ & in Sanctimonialium Monasterijs pro Dei gloria & salutè animarum ultrò ponebat. A Gymnasijs translatus regendis ad Cynæci Præfecturam, quam ei superno illustratus lumine prænuñciarat vir Clarissimus, de quo scripturè sumus in loco, P. Dominicus Pérez de Barcia, Collegium Bethlemiticum à S. Michaele dictum, ad mortem usque rexit. Ad aras quotidie faciebat, foeminarum confessiones sacras plurius audiebat ex ijs quæ claustrum inhabitant plusquam 200 numero, omniumque spiritualibus ac temporalibus commodis vigilabat, paternâ eis providens charitate. Ut successores sibi in munere Socium haberent, gravissimumque onus ipse levarer, Sacerdotij census proprio ære in-

stituendos à morte reliquit Præbitero destinatos alendo, qui auxilio esset Rectori Collegij, jure Patronatus futuro penes Præpositum ac Patres Congregationis S. Philippi Neri, quibus ad dictissimus fuerat, quorumque in Ecclesia sepultus requiescit. Obijt in Domino die 13 Januarij 1736. Scripsit.

Animadversiones pro Latina Sintaxi callendâ, quibus, manu nostra transcriptis, usi sumus Latinitatis tyrocinium agentes. Meminit ejus P. Julianus Gutierrez Davila in Monum. Hist. Congregationis Oratorij Mexicanensis p. 1. n. marg. 573.

✦ 639 F. BLASIUS MORALES, Natione Mexicanus, Patria Goatemalensis, Provinciâ inibi florentis Observantiæ S. Francisci sub SS. JESU Nomine filius, vir fuit ne dum omni instructus Theologiâ, sed verò etiam in utroque jure valdè eruditus, juxtaque pius, uti ex scriptis ejus imeditis conjectu est pronum. Sunt illa quidem sequentia.

In varios Canonici & Civillis juris titulos animadversiones.

De Theologiâ Dogmaticâ.

De Immaculatâ Deiparentis Virginis Conceptione.

Quæ tria Opuscula spisso uno volumine custodiuntur in Bibliot. Primarij Cænob. Franciscanorum de Goatemala; in qua itidem habetur ejusdem Authoris Liber alter ad Scholasticam Facultatem spectans,

De Divinis Personis, non est. Ut author nobis est P. Archena in de Scriptoribus ejusdem Provinciæ Sillabo in 4 Articuli eorum qui Latino idioma clucubrationes suas adornarunt.

640 FR. BLASIUS DE PULGAR, Natione Hispanus, Provinciâ S. Evangelij Regularis Observantiæ Seraphici Parentis alumnus, in quam Emeriti Lectoris Sacræ Theologiæ titulo donatus, ab admodum R. P. E. Antonio Cardona Commissario Indiarum generali, postmodum Illmo. Archiepiscopo Valentino, dimissus, Primatiam rexit Cathedram Meccicæ Cænobij, juxtaque sacro ad dictus fugelut, multam à sapientissimis viris retulit laudem. Hos inter P. Joannes de Goicochea Societatis JESU Theologus, & in Oratoria Facultate Magister percelebris, in Censura præfixa concionibus post Blasij funus in lucem eductis, ipsas ceterasque authoris plurimi facit, testatus, dignissimas esse hominis qui prophanos unâ sacrosque Oratores imitatus fuerit graviores, nec arte minus esse conspicuas, quam argumentorum pondere, rerumque & sententiarum ubertate, in Dei & Sanctorum gloriam, auditorumque profectum tendentes aptillimasque. Præter hæc Apostolicam hominis, satis jam defuncti, vitam multis commendat, Deo chari, proximorumque bono dediti. A Mexicis Fidei Judicibus Censor delectus fuit,

& à Provinciâ Superioribus Primarijs Conventibus Guardianus datus, Diffinitorcsque inter scriptus. Obijt defuncte seculi hujus anno 9 vel incunte 10 ex memoratâ Censurâ colligimus, cum alijs, & Operis postremo recensendi loco, nuncupatoria ac proœmio; vivente adhuc Authore anno 9 adornatis. Edidit hispano sermone

Orationem Pægricam & Declamationem Funebrem in Exequijs altis in Conventu S. Francisci Catholico Hispaniarum Regi Carolo II. Mexici ex Typographia V. Francisci Rodriguez Lupercio 1701 in quarto. Exat tom. 271 collect. nostra.

Orationem Eucharisticam Deo Deiparentique Virgini, sub Imagine nuncupatâ à Remedis, habitam in Cathedrali Ecclesia Mexicæ pro navali Ludovici I Hispaniarum Principis. Mexici typis V. Michælis de Ribera 1708 in quarto. Habetur tom. 53 dictæ Collecti.

Sermones sex in Canticum Salve Regina, habitos in Sacello Mexiceo Cantabrorum de Aranzazu dicto. Mexici, eisdem typis 1710 in 4. Exat tom. ejusdem Colli.

Majoris Opera voluminis scripsisse, ipse Author in Proœmio insinuato fatetur, quorum tituli & argumenta nos fugiunt, existimamus verò & ad Philosophiam Theologiamque spectare & ad Oratoriam Sacram.

Meminit ejus Bibliotheca Franciscana tom. 3 in Appendicibus

bus littera B, quamvis, præter
cōcionem unam, Opuscula ipsam
alia latuerint. Itemque Pinclius in
Epitome Bibliothecæ Occidentalis
editionis novissimæ col. 923,

641 F. BONABENTURA DE
SALINAS & CORDOVA, Natione
Peruanus, Limæ Regia Urbe to-
tiusque Meridionalis Americæ ca-
pite, nobilissimis Americanis
item genitoribus usus, Doctore
Didaco de Salinas, & D. Joanna
de Silva & Cordova, ab Hispani-
s parentibus genitis, longis
majorum imaginibus claris, na-
tus est. Ingenue & liberaliter
educatus, in Limensi Universita-
te per celebri Latinis operam de-
dit litteris, Rhetoricam coluit,
& imbutus liberalibus Artibus
fuit. Hæc inter ephebum egit Pe-
ruani Pro-Regis Clarissimi Viri D.
Ludovici de Velasco, Mexicani,
Equitris Ordinis Divi Jacobi,
qui nuper Mexicæum Pro-Regem
egerat, egitque dein, tituloque
insignitus Marchionis de Salinas,
Regij supremi Indiarum Consi-
lij Præses evasit. Noster, Comi-
ti de Monterey, Peruvienſium
clavum Regis vice tenenti, præ-
textatus item assecla fuit; post-
modum inter familiares Mar-
chionis de Montefclaros D. Joan-
nis de Mendoza & Luna, Limen-
sis Pro-Regis, habitus est.

642 Hujus, quem postremo
nominavimus loco, Principis jus-
su, Regium Archivium in ordi-
nem redegit, Libris, Schedulis,
Monumentisque ita dispositis, &

ad Chronologiam aptatis & Indi-
cem, ut facili deinceps negotio
inveniri ea poterint & legi. Hinc
eiusdem Pro-Regis Primus à Se-
cretis Gubernationis renunciatus,
eo aliquot mensibus munere fun-
ctus, mundo valedicere secum
constituit, & Seraphicæ Familiæ
nomen dare apud Limensem à
duodecim Apostolis nuncupatam
Provinciam. Scilicet, ubi legere
incæpit Regia Decreta Legesque
sanctissimas pro Indorum con-
versione Catholico zelo sancitas,
& ad utriusque regimen Ameri-
cæ æquissime humanissimæque
compositas, Catholicorum mira-
tus Regum pietatem studiumque
insigne Archiepiscopos, Episco-
pos, Prædicatoresque destinandi
viros sanctitate vitæ & doctrinâ
præclaros, qui instituendis invigilarent ac fovendis hominibus
nuper paganis, æstare quoque
se occupasse fatetur, & ut ut post-
set prædicationi insistere cogita-
vit, ubi factas prophanis, quibus
instructus fuerat, litteras addidit
set, sacrisque initiatus, Apostolico
muneri aptatus fuisset, pro ut
conceptis ipse verbis exprelsit non
apud Indos modò, sed verò etiam
coram Hispanis Italisque, & plu-
ries apud Urbanum VIII & Sacras
Romanorum Congregationes, est
que legere in Memoriali à se edi-
to toto § 5 & signatim à n. 67.

643 Religiosa emissâ pro-
fessione, statim Superiorum præ-
cripto Magister primum Latini-
tatis atque Rhetoricæ destinatus

juvenes triennio instituit; queis
Philosophiam semel iterumque
è Cathedra ad septennium tra-
didit. Mox Theologico incubuit
suggestui, etiam Primario, donec
Emeriti lauram reportavit, plu-
ribus institutis discipulis, qui do-
ctrinâ insignes, Provinciæ Patriæ
que ornatui deinceps fuere mu-
neribusque & gestis præclari. Nec
verò à proposito, quod jam diu
conceperat, prædicandi resiliit:
nam utriusque deditus & unâ sug-
gestui, sermones habuit Limæ
sæpissime: in alijs non longè dis-
fisis Urbibus & Pagis, feriato ab
Scholis tempore, doctos ac pios,
& Indorum protectioni, multa
id temporis inique patientium,
justitiæ & humanitati concilian-
dis asserendisque destinatos, nil
interea moratus querimonias atq;
calumnias inde in ipsum enatas.
Multi à Pro-Regibus, Episcopis,
Virisque sapientissimis & gravissi-
mis habebatur, ut propterea ejus-
dem in Hispaniam pergere ge-
stientis, juvandi Indos causâ, vo-
tis obsecundaverint, ipsumque
honoribus cumularint. A Pro-
vincia sua Desinitor & Custos in
Comitia Ordinis generalia Ro-
mæ cogenda destinatus, Procura-
torque in utramque Curiam,
cum pro rebus alijs gravissimis,
tum pro V. P. F. Francisci Sola-
no Beatificatione & Canonizatio-
ne curandâ dimissus, & ab Ar-
chiepiscopo Limensi Viro Claris-
simo D. Ferdinando Arias de
Ugarte ad visitanda Apostolorum

limina Nuntius, negotiorumque
Metropolis suæ gestor Romæ:
Urbis item Limensis nomine am-
plissimaque Facultate Solani Apo-
tecosim acturus, multis Testimo-
nijs & Epistolis præmunitus, tan-
dem 23 Decembris 1637 Hispani-
am appulit.

644 In honore à Rege ha-
bitum Regijsque Consularijs, Su-
premi quoque Inquisitionis
Consistorium suis eum Theolo-
gis aggregavit. Tum Romam pro-
fectus Comitijs interfuit Fran-
ciscanorum, è toto terrarum Or-
be confluentium pro Ministro
Generali eligendo, tantique æsti-
matus à Superioribus fuit, ut Præ-
sidem egerit thesum coram deli-
beratissimo scientiarum flore in
maximo eo Theatro propugna-
tarum, plaudentibus Americanum
Theologum Romanis exterisque
alijs eruditissimis, atque ex His-
panis in primis Viro omni ma-
jori laude P. Joanne de Lugo
Societatis JESU, qui concertan-
tes inter adfuit, dein S. R. E.
Cardinalis eximijs meritis fuit
auguratus. Noster, ut in Neapo-
litana palestâ Cathedram subi-
ret Primariam Theologia, re-
gendisque Studijs suorum flori-
dissimis ex munere intenderet,
jussus, eò contendit, ad septen-
niumque defunctus provinciâ
egregium sibi nomen apud cul-
tissima Neapoli capita peperit:
Discipulis Americanis, quos pri-
dem docuerat, Europeos adjiciens,
non poenitentis fructibus, aut in-

gratâ Itolorum, quibus cordi fuerat, recordatione.

645 Nec propterea negotijs diligentia suâ demandatis apud Romanam Curiam, subtraxit se, tempora illis consignans, quæ Gymnasij Leges Professorum otio concedunt. Pluries coram Summo Pontifice Urbano VIII & Sacris Congregationibus, applaudentibus Purpuratis & Prelatis, oravit, cum pro Limensi Archiepiscopo ejusque Ecclesiâ, tum pro Beatificationis & Canonizationis Causâ V. P. F. Francisci Solano, tum pro negotijs alijs, Apostolorum Limina, ut in junctum sibi onus ferret, religiosissimè coluit. Multa Regis Catholici Patronarum Jusque Indiarum concernentia defendit, politicisque magni momenti ca re pestate occurrentibus, ut decebat fidelissimum erga Regem suum hominem, intervivit, gratus propterea & Regi ipsi & Consiliarijs ejus, Ordinisque sui Superioribus.

646 Hispaniam evocatus ut quiesceret, totque egregie gestorum præmium aliquod reportaret, Valentia substitit, calumnijs impetitus & maledictis invidorum, qui hoc etiam nomine ei detrahebant, quod natus in America Hispanis parentibus indignus judicari deberet præclaro, quo donatus fuerat, officio Commissarij Generalis Familiæ suæ apud Hispaniam Novam. Depulsis ramon & in auram & fu-

um, ut par erat, evanescentibus amulorum cavillationibus, quas sapientes quique & cordati cachinnis excipere despicant blaterones habentes, qui non litore duntaxat percitos, sed inficitia laborantes, eis se obtrectationibus commonstraverant. Ille, editis scriptis quibus isthæc & similia portenta fugaverat, probatus Regi & quibusque gravissimis Viris, anno 1646 ad nos contendit, apud quos strenuè functus Commissarij munere, egregia probitatis, sapientiæ, & prudentiæ monumenta reliquit. Cœnobij Franciscanorum Mexicci Maximi janæ atrium ampliavit, pulchrisque lapidibus & picturis instruxit: præcipuam nobili architecturâ scalam tripartitam crexit, cui deauratam superposuit contignationem, circumque statuis & ductis penicillo imaginibus vitam expressit Seraphici D. Bonaventuræ totius machinæ Mecœnatis. Pro ægrotantibus fratribus Valetudinarium ædificavit, cellis, cavedio, fontibus, idque alijs abundans, quod postmodum ædificium alijs Superioribus commodius visum est pro Commissarij Generalis Familiæ, Religiosis languentibus ad abstrusiora conventus redactis, & ab strepitu & molestiâ longè semotis. Adhæc, Adium partem illam additis conclavibus ampliorem fecit, quæ hodieque Lectores Scholaresque capit, quorum publicis concertationibus excitatâ Aulam usui

usui esse voluit, ijs oculatissimè providens quæ studijs fovendis noverat in primis utilia, longa 22 annorum, quos legendo contriverat, exercitatione.

647 Sodales paternâ omnes charitate complectebatur, de quorum victu sollicitus, multa constituit ipsorum valetudini & viribus opportuna. Annuas, in aliquot sacra cantu peragenda, egrotorum subsidia, & pios alios usus impendendas eleemosynas procuravit, multisque alijs nominibus de Provincijs sibi commissis benemeruit. Denique, non à suis modò, sed à sapientibus omnibus & prudentibus viris maximi habitus, apud Cœnobium de Quernavaca fati defunctus 15 Novembris anno 1653 ibidem sepultus, sui desiderium & nomen Americanis in primis reliquit. Scripsit & edidit hispano sermone

Monumenta Historiæ Novi Orbis Peruani: Merita & decora Civitatis Limensis. Linæ Apud Hieronymum de Contreras 1630 in quarto. Extat in Biblio. Collegij Maximi SS. AA. Petri & Pauli Societatis JESU Mexicci. Editionem aliam Matritensem anni 1639 in quarto recenset Biblior. Franciscana Noltri memor tom. 1. pag. 239. Est quidem Opus admodum eruditum Antiquitates, Barbariem, Ritus, & alia Ingarum Regum in propatulo ponens, unâque Expugnationum Peruvienfis Orbis facinora & nobi-

litatem aperiens, Regique Catholico, cujus gloriæ & nomini plaudit, nuncupatum, gravissimis Approbationibus communitum, quas Archiepiscopi duo, Episcopi quinque, & plenus Universitatis Limensis Confessus dedere.

Memoriale Testimoniumque, seu Apologiam, pro se, natisque in America Hispanis parentibus, vulgo *Criollos.* Hispanis typis Liber est excusus in folio, ut legenti sit palam, quamvis & locus editionis, & typographi nomen nullibi appareat, ut fieri consueverat in similibus. Hujus meminit Apologiæ Pinelus col. 712, estque bipartitus Liber, atque folijs 115 constantem primam partem in gestis suis majorumque describendis impendit, sic, ut & natorum in America Hispanis genitoribus merita modestissime insinuet, eorum obtrectatoribus jure coercendis, & quod caput est, Catholicorum Regum gloriam, & zelum pandat amoenissimâ & ad rem quam pertractat omnem opportunâ natâque eruditione. Secunda verò pars folijs 40 constants instrumenta exhibet, quæ à se gesta, & in antecessum posita comprobant. Opusculum hoc Biblior. Authorem Franciscanæ penitus latuit, quod inter nostros tamen non est admodum rarum.

Panegyrim in festo Seraphici Parentis Francisci. Linæ anno 1646 in quarto. Cujus meminit eadem Bibliotheca Franciscana, prætereaque Alva, in Militia pro Im-

maculatâ Conceptione col. 208. adjungens Nostrum in Epistola de Libro D. D. Petri Arequipensis pro certitudine præservationis Virginis Deiparentis à peccato originali, multa id argumenti lumina conscripisse.

Orationem funebrem habitam Mexici in justis Hispaniarum Principis Serenissimi Balthassaris Caroli Austriaci. Mexici typis V. Bernard. Calderon anno 1647. Extrat in Bibliotheca Regalis Augustiniani Collegij Mexicci Divi Pauli, cujus memoriam habent eadem Bibliotheca Franciscana & Pinelus in Epit. Occident fol. 923 col. 4. habemus eam t. 27 Coll. nostr.

Sermones varios, pro ut è Bibliotheca Franciscana didicimus, quæ Authorem secuta Chronicorum Provinciae Limentis XII Apostolorum F. Didacum Cordova lib. 6 cap. 7 illorum meminit. Addit ex Wadingo & Sanning. suis, è quæis secundus præmanibus habuit libros,

Cursum integrum Artium ad prælum paratum Romæ, quem tamen ineditum, ut remur, mansisse dolemus.

Superaddendi insuper sunt *Tractatus Theologici*,

Quos apud Limentes & Neapolitanos è suggestu dictavit, nos que cujus signatim argumenti singuli fuerint, præterit. Ad extremum Bibliotheca Franciscana tom. 3 inter Appendices suppeditavit nobis perpulcrum Tractatum anno 1649 editum à Nostro

De novis Missionibus Franciscanorum apud Sinas & Tartaros, incipientem D. Marcos.

Acta ejus Mexice tradidit Berancurtius in de illustribus Provinciae S. Evangelij viris, post Menologium pag. 147. n. 30. Reliqua è Memoriali supra indicato alijsque Monumentis hausimus.

648 D. D. BRIXIANUS DIEZ CRUZATE, Natione, ni fallimur, Mexicanus, Doctorali redimitus insulâ in Academiâ nostrâ, Cathedram tenuit aperiendis Institutionibus Justiniani Regijs factionibus destinata, cujus nactus est administrationem, quadriennio habendam, anno 1613. scholasticâ de more præviâ inter candidatos concertatione. Tradidit auditoribus suis

Selectas aliquot Institutionum explicationes.

Ejus est memor Plaza in Chonic. Academicis lib. 3. cap. 16. n. 77.

C

649 D. D. CAIETANUS DE ARMENDARIS, Natione Mexicanus & Patria, è nobili Familia progenitus, ubi Latinitatem hauserat & Aristotelicam Philosophiam apud Maximum Soc. JESU Mexicæ Collegium Academica que Gymnasiâ, lauro donatus, Apollineam sibi Facultatem excolendam delegit, quam ita demum meditatione scholasticâ &

con-

concertatione primùm, mox etiam practicâ tenuit exercitatione & observatione, ut ad Baccalaureatus gradum Doctoralem pileum adjecerit, isque unus è primoribus Medicinæ suâ ætate fuerit, petitisque ejusdem Cathedris, eam octo virorum suffragijs suo opte jure regendam assumpserit, quæ exponendæ Chirurgiæ, Anatomixque tyronibus aperiendæ destinata est. Singulari in docendo & agendo peritiæ medicæ pietas etiam multa sociata, ceteraq; christianæ officia virtutis, quæ usu tenuerat, nomini splendorem & decus superaddidere. Ad sublimiora optatum subsellia mors immatura tulit, ad quam se apostitissimè comparaverat. Ejus, quæ Academica tabularia nobis exhibent, Scripta subnectimus

Opusculum de vasibus lacteis & actu chylifero.

Opusculum de cordis fabrica.

Opusculum de liene & ejus officijs.

Opusculum de pancreato & succo pancreatico.

De Chirurgia in genere.

De secunda Anatomia parte.

Opusculum de motu sanguinis circulari.

Opusculum de partibus corporis simularibus.

Opusculum alterum ejusdem argumenti.

Opusculum de musculis & eorum motu.

Opusculum de Gula & Esophago.

650 F. CAIETANUS DE BAR-

REDA, Natione Mexicanus & Patria, Regij ac Pontificij Metropolitanæ Ecclesiæ Collegij Seminarij à S. Paulo & Purissimâ Conceptione nuncupati alumnus, Latinis postquam ejus in Gymnasijs operam dedit & Rhetoricis disciplinis, Philosophicas avidè aggressus, moxque Theologicas inibi & in Academiâ palestra, minores utriusque Facultatis gradus, deincepsque Doctoratum in sacra tenuit egregio sibi nomine comparato. A Collegij sui Judicibus, præmisso, ut sit, horariæ Relectionis examine consueris que pro regendis Cathedris probationibus, Philosophiæ destinatus Professor, multis ipsam & domesticis & extraneis auditoribus tradidit fructu neutiquam paritendo. Triennio absoluto, interstitijsque factis, eandem iterum adornavit spartam ab anno 1728 Cursum Philosophicum auspicatus, quem ad exitum, secundâ quidem sorte, deduxit. Tum, Libros quibus unicè delectabatur, diu noctaque evolere pergens, atque Ecclesiasticis ministerijs insistens (erat enim Sacerdotio initiatus) aptissimus visus est Archiepiscopo Mexicano, qui Collegio præficeretur. Rector institutus, huic strenuè muneris invigilavit, convictorum in doctrinâ & virtute institutorum curam sollicitè agens. Hæc inter ipse quotidie doctior & ad speranda majora in Ecclesiastica Republica litteris & gestis paratior,

Y2